

# TRIBUNAL ROTAE NUNTIATURAE APOSTOLICAE MATRITENSIS

Coram Excmo. ac Rvdmo. Dno. LAURENTIO MIGUELEZ,  
Decano, Ponente

*Nullitatis matrimonii*

Sententia 7 martii 1957

(*Omissis*)

## I. SPECIES FACTI

1.—Titius, advocatus, qui sex supra triginta annorum aetatem expleverat, et Caia, in aetate viginti et quatuor annorum constituta, post relationes amatorias per annum circiter cum dimidio normaliter ductas, die 24 Januarii 1949 matrimonium canonicum inierunt in ecclesia Dominae Nostrae a Rosario civitatis ac diocesis B. At vita communis inter copulatos instaurata non fuit; in ipso etenim momento caeremoniae nuptialis Titius, qui usque tunc temporis lucida mente se gesserat in omnibus, anomalo quodam modo se gerere coepit dictis et factis, quasi repentina quadam mentis abalienatione fuisse correptus. Quibus anomalisi a patre Caiae, qui praesens aderat, conspectis, nullatenus permisit ut neoconjuges vitam conjugalem, nec per brevissimum temporis spatium, instaurarent. Immo vero, die 31 ejusdem mensis januarii, septima scilicet a nuptiis celebratis, ipsemet pater Caiae Vicarium generalem adiit eidemque scriptum porrexit, quo, enarratis iis quae in caeremonia nuptiali et postea evenerant, consilium ab eo expetebat quid sibi faciendum esset pro filia illis in angustiis constituta.

Tamdem, die 23 septembbris ejusdem anni 1949 uxor Tribunal B. legitime adiit, matrimonium cum Titio nullitatis accusans tum ob defectum consensus ex parte viri ob mentis abalienationem tum ob errorem substantialem ex parte ipiusmet uxoris, quae viri infirmitatem psychicam penitus ignorabat. At, formula dubiorum concordata, causa de facto tractata non fuit nisi ex primo nullitatis capite adducto, id est, ex viri mente abalienata. Votis actricis tribunal B. adnuit dieque 2 octobris 1951 matrimonii nullitatem declaravit; quae tamen sententia,

vinculi Defensore appellante, a tribunali metropolitano N. fuit infirma-  
ta die 16 julii 1954.

Appellante uxore ad Nostrum Auditorium, instructioneque supple-  
toria a Nobis peracta, rogante uxore, circa matrimonii inconsu-  
mationem, ad norman n. 4 Regularum S. C. de Sacramentis diei 7 maii  
1923, sequenti dubiorum formulae concordatae respondere nos hodie  
debemus: "An confirmando vel infirmando sit sententia tribunalis N.  
diei 16 julii, 1954".

## II. IN JURE

2.—Notissimum est ad matrimonium valide ineundum jure naturae  
requiri praestationem veri consensus interni, naturaliter validi exterius  
que manifestati. Verus autem consensus matrimonialis vitiari potest vel  
ex parte intellectus vel ex parte voluntatis. Ex parte *intellectus*, si, vel  
contrahens substantiam matrimonii ignoret, vel mentis lumen quavis  
ex causa ita obnubilatum habeat, cum contrahit, ut actum juridicum,  
quem perficit, ab alio actu humano distingue nequeat. Ex parte *vo-  
luntatis*, si libertas vel penitus aufertur vel adeo graviter minuitur ut  
contrahens actuum suorum, et specificē actus contrahendi, non sit vere  
dominus.

3.—Manifestum est consensus defectum provenire posse ex sic dic-  
tis infirmitatibus psychicis, quorum in terminologia seu denominatione  
statuenda psychiatrae adhuc inter se non concordant; canonistae vero  
eas denominaciones ac divisiones in foro canonico praetermittunt, iis  
solummodo contenti, quae ad causas canonicas dilucidandas funda-  
mentum solidum et objectivum praestant. En quomodo se profert S. R.  
Rota: "Legislatores, omni aevo, medicorum placita non sunt sequenti  
in multiformi divisione ac variis nominibus, quibus placuit ac placet  
mentales infirmitates despescere ac significare. Cum enim finis legis di-  
versus sit ab eo quem sibi medici proponunt in variis hujusmodi morbis  
indagandis, consequens fuit quod lex eam tantummodo divisionem ac  
nomina acceperit, quae fini sibi proprio responderent, quaeque diversas  
species vel subspecies sub se completerentur... In foro usu venit dis-  
tinctio, quam etiam medici-legistae acceperunt, inter dementiam *natura-  
lem*, quae complectitur mentecaptos a nativitate vel infantia, ab extre-  
mo gradu imbecillitatis usque ad simplicitatem spiritus, et dementiam  
*adventitiam vel accidentalem*, quae post adeptum judicium superve-  
nit" (SRRD, Dec. 6, coram *Parrillo*, 16 februarii 1928, num. 6, pag.  
60). Hanc divisionem et nos, pro scopo nostro, adnotatam volumus.  
Huic divisioni immorans illa sententia Rotalis, post enumeratos generi-  
cos defectos, qui actum humanum elidere possunt, vel ex parte intel-  
lectus ob defectum cognitionis vel ex parte voluntatis ob defectum li-  
bertatis, sic pergit: "Utrique defectui plane respondet divisio menta-

lium infirmitatum supra insinuata; nam dementia *naturalis* (idiotismus, imbecillitas, fatuitas, simplicitas spiritus) *intellectum* seu rationem proprie percutit a nativitate vel ab infantia, et pro diverso ejus gradu, mentis capacitatem rerumque scientiam coarctat, minuit vel abolet: vicissim dementia *adventitia* vel accidentalis, quae ut plurimum maturitati psychicae vel physicae supervenit, *voluntatem* seu judicii *libertatem*, pro diversu gradu, debilitat, minuit vel aufert omnino" (Ibid, n. 8, pag. 62). Quia ad rem nostram necesse non est, praetermittimus denominationes illas, in jurisprudentia canonica sat usitatas, quae distinctionem statuunt amentiam inter ed dementiam, quasi amens dicendus sit ille qui insanit per omnia, demens vero qui insanit circa unam rem tamtum (cfr. SRRD, Dec. 83, coram *Morano*, 21 dec. 1935; pag. 696; et Dec. 33, coram *Jullien* 9 maji 1936 n. 2 pag. 304); retinemus tamen jurisprudentiae substratum: quod nempe quis potest insanire circa unam tamtum rem, quin ideo necesse dicendus sit in omnibus insanire.

4.—Quando agitur de dementia *adventitia*, ignorare non licet deliria seu obsesiones, quae, si profundas radices in subjecto fixerint per actus non modo frequentes, sed data opportunitate, moraliter continuos, in sistema transeunt ac personalitatem paranoicam infirmi mentalis inducunt; si vero actus illi frequentes non sint —et a fortiori si unus tantum vel alter habitus fuerit— non revelant nisi transiens quoddam phaenomenum —quocumque nomine specifico illund designare placet—, nec sistema paranoicum constituunt, nec patiens fit vere paranoicus sed, ad summum, in via ad paranoiam seu vulgo "paranoide". Quidquid tamen sit, jurisprudentia canonica non admittit ex solis obsessionibus seu deliriis posse concludi pro totali amentia infirmi mentalis ac pro ejusdem incapacitate ad consensum matrimonialem praestandum, nisi obsessiones seu deliria sistema constituant ac circa rem matrimonialel versentur, eo, v. gr. quod impellant vel determinent ad matrimonium contrahendum. "Dubitari nequit in primis —ait S. Romana Rota—, ad normam traditae doctrinae hac in re receptissimae, obsessionibus affectos plenam conscientiam servare etiam in statu obsessionis et in actu obsessionum, prout clasice affirmant doctores Pitrales et Regis in opere *Les obsessions et les impulsions...* Idem dicendum in casu de conventae libertate, cum doctor Mallet, in suo opere *Les obsédés* disserte ad rem dicat: "L'obsédé n'est 'ni un débile de l'intelligence, ni un débile de la volonté'" ... Juris praeterea est firmissima regula quod dementia quae circa unum tantum vel alterum objec- tum fertur, non est impedimenta matrimonii, nisi quando fertur in ipsum matrimonium. Unde De Smet (*De sponsalibus et matrimonio*, § 522 bis) ad rem scribit: quodsi dementia non afficiat negotia matrimonialia, nihil obstare videtur, theoretice loquendo, quominus matrimonium valeat" (SRRD. Dec. 48, coram *Quattrocolo*, 17 nov. 1932, nn. 13 et

16, pag. 453-455). Quibus concordant aliae sententiae Rotales. v. gr.: "Diximus dementes seu monomaniacos, si insaniant quoad rem uxoriām, incapaces esse matrimoniu ineundi; non omnes enim conveniunt eos in genere ad quemlibet contractum ineundum inhabiles esse" (SRRD, Dec. 47, coram *Grazioli*, 1 julii 1933, n. 4, pag. 408). "Dementia vero perfecta matrimonium invalidat tantum si extendatur ad ipsum objectum contractus matrimonialis" (SRRD, Dec. 83, coram *Morano*, 21 dec. 1935, n. 4, pag. 696). "Amens dicitur qui insanit per omnia; demens qui insanit circa unam rem tantum et aequiparatur amenti in id quod ad dementia pertinet; idemque demens incapax est matrimonii contrahendi, quando insania fertur ad rem matrimonialē ipsam" (SRRD, Dec. 33, coram *Jullien*, 9 maji 1936, n. 2 pag. 304) "Juridice ostendatur nupturientis mentem "delirio sistematizzato e reso completo", ut ajunt, ita perturbatam esse ut, verba consensus proferens, intelligere non valuerit quid materialiter fecerit (SRRD, Dec. 81, coram *Jullien*, 16 dec. 1936, n. 3, pag. 770).

5.—Proni ergo esse non possumus, ex supradictis, ad talem mentis abalienationem admittendam, quae consensus matrimonialis praestationem impedit, nisi actibus gravibus et univocis illa probetur; et enim "jure praesumitur pro sana mente —ait S. Romana Rota— et amentia probetur oportet per actus univocos, qui eam concludant; ideoque non sufficiunt nec leves nec aequivoci. Non leves, quia ad valide contrahendum non requiritur perfecta prudentia seu, ut ajunt "il perfetto equilibrio delle facoltà mentali"…; neque aequivoci actus sufficiunt ad probandum defectum discretionis animi. Siquidem aliquando facinora quaedam ob immanem singularitatem sunt juxta quosdam facile tribuenda amentiae, dum revera committuntur a persona indolis quidem insolitae" (SRRD, Dec. 33, coram *Jullien*, 9 maji 1936, n. 2 pag. 305). Similiter et alia sententia coram *Wynen*: "Ex meris verbis autem et factis cum certitudine deduci non posse gravem morbum mentis, nisi fuerint neque pauca neque aequivoca, ex supra disputatis patet. Et re vera, si illi actus, qui amentiae suspicionem ingerunt, non fuerint multi, aut si admittunt aliam explicationem, quin infirmo insaniae nota adjudicari debeat, de amentia constare nequit, id quod praesertim tunc obtinet quando tota alia vita illius hominis normalis esse videtur" (SRRD, Dec. 12, coram *Wynen*. 1 martii 1930, n. 15, pag. 134-135). "Tota alia vita", de qua laudata sententia Rotalis, manifesto patet quod est intelligenda tum de caeteris actibus, qui ab infirmo eodem tempore peraguntur, tum de complexione eorum omnium ante et post eruptiones obsessivas seu delirantes. Difficilius enim aestimari potest demens seu systematice delirans qui ante et post eruptionem plene normalis semper apparuit.

6.—In abalienatione probanda et aestimanda p̄ae primis attendi debet, juxta supra exposita, ad naturam abalienationis: an nempe sit

congenita, an vero adventitia. Si de congenita agatur, cum haec *intellectum* potissime afficiat, standum est doctrinae S. Thomae (IV dis. 27, q. 2. art. 2), juxta quam maturius requiritur judicium ad contrahendum, quam ad peccatum mortale committendum. Si vero de *adventitia*, quae *voluntatem* seu libertatem per prius afficit, quaeque frequenter componitur cum lucidissima acie intellectus in iis omnibus quae extra obsessiones et sistema obsessivum versantur, doctrinae a Sánchez propositae ("De matrimonio", lib. I, disp. 8, n. 15) standum est, juxta quam, ad valide contrahendum, ea sufficit voluntatis deliberatio seu libertas, quae ad lethaliter peccandum requiritur. Non ergo adest contradictio S. Thomam inter et clarissimum canonistam Sánchez, et enim unusquisque eorum quaestione diverso sub aspectu considerat. Quoad vero probationes per testes exhibitas, animadverti debet quod testis est actus concretos et positivos referre, non autem de abalienatione ipsa judicare, et, multo minus, de capacitate vel incapacitate ad contrahendum; quod quidem ad judicem pertinet. Peritos autem quod attinet, hi assumuntur ex prescripto legis ut judicem adjuvent in judicio circa capacitatem infirmi efformando; sunt enim judicis consiliarii seu adscensores, non autem judices, quapropter tribunal non tenetur sequi peritorum judicium etsi corum conclusiones sint concordes, dummodo rationes exprimat, quibus conclusiones peritiales forsitan rejiciant (*Instr. Provida*, art. 154), omnibus adjunctis causae perpensis, etsi agatur de "voto quantumvis eruditio et concordia", ut ait S. Romana Rota (SRRD. Dec. 16 coram *Mannucci*, 8 aprilis 1924, n. 3, pag. 128). A fortiori ergo poterit tribunal a voto peritorum recedere, si eruditum non sit nec gravibus rationibus et argumentis fundetur a peritis.

7.—Tandem scitissimum est argumenta pro nullitate matrimonii declaranda colligi debere ex toto probationum globo. Quodsi argumenta exinde deducta talia non sint, quae *concludenter* et *invicte* nullitatem ostendant (quod quidem evenire non potest, si quodvis dubium prudens in contrarium subsit), favor juris, quo gaudet matrimonium (c. 1014), postulat ut sententia nullitatis declaratoria non proferatur.

### III. IN FACTO

8.—Prae primis animadvertere juvat virum conventum nulla umquam signa dedisse abalienationis mentalis in tota ejus vita anteacta sex supra triginta annorum; quapropter non agitur, in casu, de infirmitate congenita, sed de *adventitia*, cui idcirco applicanda sunt ea quae diximus "in jure" de hujus generis infirmitate mentali. Candide fatetur et ipsa uxor se per annum cum dimidio relationum praematri monialium nihil anomalum in ipso sponso observasse: "Las relaciones —ait uxor actrix— se prolongaron durante año y medio aproximadamente... No noté nada anormal en el tiempo... que nos hablamos..."

Pude observar un carácter serio, reservado, genio fuerte, celoso sin motivo, pero ninguna otra anormalidad, que pudiera hacer sospechar el desenlace habido". Nemo pariter ex testibus in judicio excussis quidquam fassus est de quibusvis anomalias in vita anteacta viri conventi, si testem R. excipias, "Fiscal de Tasas" sic dictum, qui depositus se duobus circiter annis ante matrimonium virum conventum aestimasse tamquam si esset "un fatigado mental, debido quizá a lo excesivo y penoso del trabajo. Solicitó para él dos meses de permiso". Sed haec defatigatio ob nimium laborem nihil anomalum secum fert nec indicare potest complexionem infirmitati mentali pronam. Item adnotare praestat virum conventum, transacto illo priore temporis spatio (forsan dierum vel, ad summum, unius alteriusve mensis) nullam —quam noscamus— mentis abalienationem aut obsessiones pa sum fuisse. In praesentiarum, et ab aliquibus jam annis, advocationem profitetur et exercet.

9.—Anomaliae in viro convento non antea observari coeperunt nisi in ipsomet actu matrimonii ineundi. En paucissima, quae de iis *uxor actrix* fassa est in judiciali sui excussione: "Al entrar en la iglesia (pro caeremonia nuptiali explenda), noté que él estaba muy excitado, que me hablaba de alborotos dentro del templo y de silbidos... Durante la ceremonia su excitación y nerviosismo iba en aumento, llegando a desatarse por completo en la sacristía", id est post sacram ceremoniam expletam.

Pressius autem et explicitius facta exposuit *pater actricis*, sic depo nens: "Noté anormalidades y alucinaciones en el novio desde el principio (in ecclesia, nempe); hablaba de pitadas, de canciones y ruidos provocados por comerciantes y estraperlistas... Exigió la presencia de un notario, que efectivamente acudió, que levantara acta sobre irregularidades que decía y conatos de atentados contra su persona, enrollándole la alfombra para que, tropezando con ella, cayera; y por si este medio no era eficaz, un petardo que llevaba el sacristán. Quería cuanto antes terminar en la iglesia, hasta el punto de no querer que se cantara la Salve, que, no obstante, se cantó. En la sacristía insultó groseramente e intentó agredir al Fiscal de Tasas y a otras personas". Et *Rev. D. Petrus*, parochus qui matrimonio adstitit, sic depositus: "Antes de empezar la ceremonia, encontré en el novio una exaltación, especie de arrogancia, desacostumbrada en el hombre en estas ocasiones. En la celebración del acto matrimonial continuó la misma exaltación al dar la respuesta. Cuando la bendición de arras, se dirigió a mí, diciéndome que interpusiera mi autoridad de párroco... acallando las voces y la entrada y salida de los niños, cuando en realidad nada de esto existía... En la sacristía insultaba y trataba de agredir al Fiscal, que había acudido como testigo. Le llamaba criminal y canalla". Nec substantialiter discrepat testimonium W., judicis laicalis Instruc-

tionis, in judicio ajentis: "Durante la ceremonia observé que estaba muy distraído y nervioso, llamando continuamente a los acólitos y cuchicheando con el padrino... En la sacristía estaba ya disparatado, hablando de bombas que le habían puesto, de petardos, de canciones, etcétera... Puede decirse que no estaba plenamente normal en el acto del otorgamiento, sin que pueda precisar más. La excitación fue en aumento, hasta llegar a su explosión en la sacristía... Anormalidad encontré al principio, como dije. Gravedad en lo anormal, en la sacristía". Similiter nonnulli alii testes, inter quos D. et F., magistri in Schola Commercii, G. procurator et M. qui judicem municipalem in matrimonio ineundo repreäsentavit, necnon et recensitus R. Fiscalis Taxarum, qui depositus: "Lo noté nervioso y de gran palidez su rostro. Contestó a las preguntas con entonación y hablaba de continuo durante la ceremonia". J. sacrarii aeditimus, pressius momenta distinguens, ait: "Noté al novio exaltado al principio de la ceremonia. Durante la Misa de velaciones me llamó, para que por teléfono avisara al Notario Sr. Z., quien acudió en efecto; y ya en la sacristía le ordenó que levantase acta contra mí, porque había querido impedir la ceremonia y atentar contra su vida... Al otorgar el contrato matrimonial, aparte de la excitación indicada, no noté nada anormal".

10.—Necesse non est ut alios testes recenseamus circa facta, de quibus supra, quaeque satis superque constant ex actis; at *virum conventum* necesse est ut audiamus: "Antes del acto matrimonial hubo determinados contratiempos que me excitaron, tales como que la noche anterior no estaba arreglada la Iglesia, que el párroco ponía dificultades para que el matrimonio se celebrara en el presbiterio, que la novia en la mañana del acto se retardaba y hube de mandarla avisar. Todo eso, unido a la emoción propia, aumentaron mi excitación más de lo ordinario. No recuerdo nada del incidente de la alfombra ni de mi preocupación porque hubiese enemigos presentes... Recuerdo que requerí al Notario Sr. Z., sin que pueda precisar la causa del requerimiento... No puedo puntualizar si pedí al padrino de la boda que impusiera orden, aunque quiero recordar algo vagamente... Recuerdo que contesté y oí la respuesta de ella (in praestatione consensus)... Me molestó que el Fiscal no asistiese de uniforme, por considerarlo una desatención... Al llegar a la sacristía, bajo el efecto de la excitación de que vengo hablando, tuve un incidente con el Sr. Fiscal". Prout videre licet in hac viri conventi depositione, ex ea non modo non destruuntur testium depositiones supra recensitae, sed potius quoad substantiam confirmantur in pluribus, potissimum in iis quae Titius se meminisse adserit.

11.—Priusquam ad ulteriora gressum faciamus, putamus abs re non esse brevi analysi facta submittere hucusque exposita, e quibus, utpote ipsam matrimonii celebrationem concomitantibus, potissime

eruendum est an sponsus, quo momento consensum matrimonialem ore promebat, ea mentis abalienatione jam tunc laboraverit ut verum consensum internum praestare nequiverit. Praetermittimus tamen heic considerare —de quo infra— an ipsimet actus clamosiores talis momenti sint ut, si probaretur eos ante consensus praestationem locum habuisse, indicarent viri inhabilitatem ad contrahendum. Jam vero, difficile —ne dicamus impossibile— est concludere sponsum, eo momento quo “affirmative” absque haesitatione respondit ad interrogaciones liturgicas sibi a parocho factas, eo jam in statu mentis versari ad quem postea devenit, quando facta illa clamosiora evenerunt. Agitur in casu de viro qui abalienationis vel minima indicia, praesentis vel futurae, numquam antea manifestaverat; qui, templum ingressurus matrimonii ineundi causa, apparebat “exaltado”, “excitado”, “nervioso”; qui post manifestationem consensus, cum arrhae benedicerentur, petuit a parocho ut clamorem nonexistentem coérceret; qui, durante Missae nuptialis celebratione, ab aeditimo petuit ut notarium advocaret, qui testimonium redigeret de insidiis sibi paratis; qui post caeremoniam Missamque nuptialem expletas Fiscalem Taxarum percutere tentavit; qui, deponente judice laicali, matrimonii celebrationi adstante, de momento in momentum amplius excitabatur —“Puede decirse que no estaba *plenamente* normal en el acto del otorgamiento... La excitación fue en aumento, hasta llegar a su explosión en la sacristía... *Anormalidad* encontré al principio, *Gravedad* en lo anormal en la sacristía”. Cumque totus hic excitationis seu exaltationis processus in spatio unius circiter horae evolutus fuerit, quisnam poterit gradum excitationis dimetiri in initio caeremoniae nuptialis, quando nempe parochus consensum matrimonialem a nupturientibus exceptit? Quousque illa excitatio, quae exterius prodibat, mentem viri conventi jam tunc pervaserat?

12.—At dato, nullatenus tamen concesso, quod Titii mens eadem esset excitatione et obnubilatione jam affecta, quae post caeremoniam nuptialem pasa fuit in sacrario templi, investigare oportet, an, hoc in supposito, vir conventus inhabilitate laboraret ad verum consensum matrimonialem praestandum. Hunc in scopum recensere juvat adjuncta matrimonii celebrationem subsequentia. En verba *viri conventi*, de iis deponentis: “Recuerdo que, por facilitar la marcha del coche (post caeremoniam nuptiarum) por las calles de B. y tomar un poco el aire, le dije al chófer que tomara por el campo del Sur, oponiéndome a que cogiese por el mercado, como quería... Al entrar (in domo parentali uxoris), fuimos a una habitación donde estaban los invitados, de quienes recibí los obligados parabienes. A continuación pasamos a otra habitación interior, donde en presencia de la madre y de alguna otra persona tomamos una taza de té, tila o algo parecido; y acto seguido me fui a otra habitación con los amigos, que requerían

mi presencia". Haec omnia facta, prout describuntur a Titio, redolent hominem jam plene normalem post excitationem nerveam in templo et in sacrario habitam; at fatetur subumbrose tantum recordari eorum quae post enarrata evenerunt: "Tengo una idea borrosa —ait— de lo ocurrido con posterioridad a lo relatado en la pregunta anterior. Recuerdo que me prepararon una cama para mí solo, para descansar aquella noche; que llamé a mi mujer ya de noche, la que acudió y hubo de marcharse enseguida, porque la llamó su madre. Creo que no se consumó el matrimonio por falta de tranquilidad y de tiempo... No recuerdo si firmé algo (inscriptionem nempe matrimoniale pro regesto civili); recuerdo que dije: vamos a firmar". Ex iis nec etiam conclidi potest Titium mente ita abalienatum fuisse ut conscientiam sui amisisset ac unum ab alio distinguere non potuisset. Quaedam mentis umbrositas ac caligo, quae *plenam* luciditatem aufert, confundi non potest cum totali conscientiae ablatione, quae hominem reddit inhabilem actibus humanis perficiendis.

13.—Ipsomet nuptiarum die, hora nona noctis, Titium lecto re cumbentem invisit doctor X., medicus, qui solummodo testatur de fatigatione mentali aegrotantis. Sed ob injurias Fiscali Taxarum illatas a Titio, suspensione a munere et retributione multatus hic fuit; quod quidem indicat offensum non considerasse eum uti amentem, alioquin eum non puniisset. Ideo, cum die subsequenti Titium denuo medicus visitavit, novam excitationis eruptionem aprehendit in eo. En hujus medici depositio in judicio excussi: "Le vi (in ipsa nuptiarum nocte) en estado de cansancio cerebral, como respuesta a una excitación anterior cuyo grado e intensidad desconocía... Al día siguiente, veinticinco, noté un acceso de excitación, motivado quizá por la notificación de la suspensión de empleo y sueldo. El 28 y el 29 sigue con aumento la excitación, que le hacía ver peligros imaginarios". Die 25, id est nuptiarum celebrationem subsequente, aliis etiam medicus, doctor O., virum conventum visitavit; ac in judicio interrogatus, sic deposuit: "Le encontré en cama con una fuerte excitación nerviosa, llegando a formar el diagnóstico de que tenía un delirio agudo, que entendí era debido a un origen gripal por la fiebre y demás signos exploratorios comprobados, pero confirmando que *en aquel momento* (nempe die 25) no tenía *integras* sus facultades mentales por la causa antedicha". Ex horum duorum testium depositionibus, qui, qua medici, aegrotantem visitaverunt inspexeruntque, nullum argumentum depro mi potest circa statum mentalem ejusdem in nuptiarum celebratione; imo vero, explicationes suppedant longe diversas ("suspensión de empleo y sueldo", "origen gripal") excitationis illius vehementioris, quam secunda die post nuptias conspexerunt. Quodsi doctor O., post adsertam ejus ignorantiam circa tempus quo eruperat perturbatio illa mentalis, subjunxit: "atendidos los datos recogidos en el *interrogato-*

*rio a la familia y rumores públicos, sospecho que desde antes de la boda estaba fuertemente excitado y sin una lucidez total para el desenvolvimiento social*", manifesto patet se partes testis excesisse, cuius est de factis solummodo testari, non vero proprias opiniones exponere ex informationibus et publico rumore haustus. Attamen, etiam aestimata hujus medici opinione, nullum solidum argumentum ex ea deduci potest in casu nostro, tum quia firmiter non adserit ("sospecho"), tum quia de *plena* ("total") ludiditate propriam et vacillantem opinionem exprimit.

14.—Die prima februarii, octava scilicet post nuptias, valetudinarium psychiatricum "San José" ingressus fuit vir conventus. De hoc adest in actis testimonium scripto datum a doctore E. hisce verbis expressum: "A su ingreso presentaba (Titius) un cuadro de psicosis aguda de tipo paranoide... encontrándose en la actualidad (24 febrero) mejorado, aunque no remitido de su enfermedad". Sed, interrogatus postea hic doctor ex officio, judicialiter depositus testimonium illud datum fuisse "a base del registro de los enfermos... pero sin que yo llevara el tratamiento del enfermo, del cual estaba encargado el doctor L. M.", quibus verbis totam vim testimonii sui scripti penitus elicit. Inspecta hac doctoris E. depositione, tribunal B. ex officio audiendum decrevit doctorem L. M. cuius en depositio: "Al hacerme cargo del enfermo (die 1 febrero) estaban profundamente afectadas las facultades mentales, siendo incapaz de tener conciencia y libertad de sus actos ordenadamente. La fase aguda de la enfermedad mental... debió empezar muy poco antes del momento de la celebración del matrimonio, *dados los antecedentes* recogidos por mí de *diversas fuentes*, que considero fidedignas. La psicosis aguda sintomática, gripal, de sintomatología esquizofrenoide, que padeció el Sr. Ticio, la considero completamente curada". Plura sunt in hujus testis depositione distinguenda et perpendenda; fatetur enim: a) quod vir conventus, quando valetudinarium ingressus est, psychosim acuminatam patiebatur (vel passus fuerat) ex infirmitate sic dicta "gripe" procedentem; b) quod, judicio hujus doctoris, illa psychosis erat "de sintomatología esquizofrenoide"; non ergo ausus fuit adserere virum conventum vera schizophrænia laborasse; c) quod eo momento quo valetudinarium ingressus fuit (octava nempe die post nuptias), vir conventus non gaudebat conscientia et libertate *ordinate* agendi. Sed haec sunt verba obscuriora; quid sibi vult hoc verbum "ordinate", non constat: an *ordinate* in omnibus; an in aliquibus tantum; an plena et perfecta ordinatione; an imperfecta, etc; d) quod ipse doctor testis censet illam deordinationem ortum forsitan habuisse ("debío" empezar) paulo ante momentum celebrationis matrimonii; et hoc censet non ex symptomatis ab eo, ut medico, haustis ex ipsa infirmitate cuius remissione ipse incubuit, sed ex antecedentibus ab eodem collectis in fontibus,

quos reputat fidedignos. Jam vero, quando, prout in casu, agitur de momento fere mathematice determinando quo infirmitas (cujusvis indolis et gravitatis haec fuerit) exorta est, haec doctoris existimatio, verbis supra recensitis expressa, nec magni ponderis est nec multum inservit veritati dignoscendae. His adde quod, sicut ingressus in hujus generis valetudinaria de se non constituit probationem amentiae (plures enim in ea ingrediuntur qui vere amentes non sunt, sed infirmitates nerveas patiuntur cum vel absque periculo insaniendi), ita testimonia medicorum, qui cujusvis generis valetudinariis praeficiuntur, cum mica salis sunt accipienda, si de gravitate infirmitatis testimonium praestent; nam infrequens non est ut, ad meritum sanationis extollendum, gravitatem infirmitatis exaggerent.

15.—Opportunum reputavimus depositiones et testimonia testium medicorum —de quibus supra— accurate exponere, non solum ob eorumdem scientiam medicalem sed, et quidem potissimum, quia in iis, fere exclusive, periti delecti fundarunt peritias ab eisdem exaratas, de quibus jam agendum est nobis.

16.—Peritus doctor Y. sic se protulit in dictamine peritiali exarato: “Está fuera de duda la enfermedad mental de don Ticio *después de celebrado el matrimonio* por certificaciones médicas terminantes”. At silet quo gradu vir conventus infirmitate illa fuerit affectus; ideoque huic periti adsertioni majorem vim tribuere non possumus quam testimoniiis illis medicalibus quibus innititur. Subjungit quod deposiciones testium ostendunt Titium *pleno* dominio facultatum mentalium gavisum non fuisse; “a nuestro juicio —ait— demuestran que no gozaba del pleno dominio de sus facultades mentales”. Sed aliud est virum *plenam* deliberationem non habuisse, aliud vero ea etiam caruisse deliberatione, etsi non plena, quae ad valide contrahendum sufficit. Deinde argumento valde miro et singulari utitur, quod eius ignorantiam in materia canonica ostendit; ait enim impossibile fore demonstrare Titium *pleno* rationis usu gavisum fuisse, si de hoc demonstrando ageretur in casu: “si tuviéramos que defender —ait— que Ticio gozaba del *pleno* uso de la razón”. Sed, quid ex hoc? In causis matrimonialibus nullitatis non agitur de crimine puniendo nec de plena deliberatione ostendenda; sed e contra de carentia deliberationis demonstranda; et ex eo quod in aliquo casu non possit positive demonstrari plena deliberatio, non ideo potest cum certitudine concludi pro deliberationis absentia. Et nullis aliis rationibus ab hoc perito adductis, sic totam suam absolvit peritiam: “*Por estas razones* y en des cargo del juramento prestado, creemos de modo claro y terminante que el Sr. Ticio no gozaba de *lucidez* mental en el momento de contraer matrimonio”. Sed, ut difficultati cuidam obviam eat, ex depositione doctoris X. exoriundae, illam depositionem non impugnat rationibus technicis, prout deberet; sed, judicis partes assumens, ait doctorem X.

non fuisse sincerum in veritate fatenda: "La declaración de D. X.—ait peritus— impresiona en el sentido de que le animaba un deseo marcado de inhibición", id est veritatis reticendae, Imo vero, in depositione quam postea, prout de jure, coram Tribunali B. praestit, iterum doctorem X. necnon et doctorem O., —qui ambo virum visitaverunt diebus 24 et 25 januarii— insinceritatis accusat, aiens: "Los médicos de B., que le asistieron, no han prestado una información clara. El Dr. X. se abstiene y el Dr O. trata de paliar los hechos". Haec omnia ostendunt, nostro judicio, nimium hujus periti studium declarationi nullitatis matrimonii favendi.

17.—Alter peritus, doctor Ch., peritiam suam scriptam fundat in manifestationibus doctorum E., M., O., et X.; et nulla alia argumentatione adhibita, concludit: "Cree el que suscribe que, tanto admitiendo uno u otro diagnóstico de los expresados por los distintos compañeros, es evidente la certeza de las apreciaciones en cuanto a la irresponsabilidad de los actos del Sr. Ticio en el tiempo expresado". Depositiones doctorum ab hoc perito citatorum supra vidimus ac rite perpendimus, quapropter necesse non est ut iis denuo immoremur; peritiae enim doctoris Ch. major vis non est tribuenda quam depositionibus illorum doctorum quibus innititur. At, judicialiter postea examinatus, ait in actis processus curatum fuisse facta palliare "disminuyendo la importancia de los mismos al objeto de no incapacitar civilmente al Sr. Ticio". Haec adserens peritus, p[re] oculis non habuit eos doctores in judicio examinatos fuisse quando nulla jam poterat esse quaestio de capacitate vel incapacitate civili viri conventi, ab ejus infirmitate totallyer jam liberati. Sicut peritus Y. depositiones doctorum X. et O. insinceritatis accusaverat, sic doctor Ch. eas rejicit in judiciali sui excussions ob eamdem rationem; attamen mirum quidem est et penitus inexplicable —imo et absurdum— quod, secumipso confilgens, aiat doctorem O. infirmitatem mentalem viri conventi exagerasse, ne puniretur ob injurias in Fiscalem Taxarum perpetratas: "Es significativa también la declaración del médico de cabecera de B., Dr. O., quien para evitar la responsabilidad en que el demandado pudiera incurrir por el trato desconsiderado con su jefe en la sacristía, afirma que el Sr. Ticio no estaba a la sazón en el uso expedito de sus facultades". Patet ergo nos acceptare non posse conclusiones hujus periti, qui rationes solidas earum non affert, extra campum technicum peritia vagatur, munus advocati imo et judicis sibi assumit ac sibimetipsi contradicit.

18.—Sed, etsi graves censerentur actus anomali a Titio positi, imo etiamsi admitteretur statum ejus mentalem in momento consensum praestandi coram parrocho et testibus talem fuisse qualis actibus illis posterioribus manifestatus fuit, ostendi adhuc deberet hallucinationes et obsesiones illas versari circa rem uxoriā seu objectum matrimonii

easque *systema* constituisse, prout fert jurisprudentia Rotalis, de qua specimen exhibuimus "in jure". Jam vero hallucinationes illae (illusio-nes acusticae, pericula imaginaria, nimia irritabilitas absque ullo funda-mento, etc) etsi ostendat mentem non omnino sanam ac lucidam *in iis*, nullatenus constat —sed contrarium appetet—circa rem uxoriām versa-ri aut aliquam cum re matrimoniali conexionem habere. Quando ac-tum fuit de consensu matrimoniali praestando, praestitus fuit a viro conuento modo normali, voce quadantenus elata; acta celebrationis matrimonii subsignavit; uxorem in vehiculo de ecclesia ad domum co-mitatus fuit; in domo sponsae collocutus est cum invitatis ad nuptias: poculum sumpsit; sivit se in lecto collocari uxoremque noctu advoca-vit. In illusionibus illis nihil eroticum appetet, vel quod ad uxorem possidendum se referat, aut ad filios procreandos, aut ad vinculum ma-trrimoniale stabiliendum. Quapropter illusionibus illis —quae extitisse existimentur— extra orbitam rei uxoriae vagantibus, patet eas hoc in campo *systema* constituere non potuisse, quod in praestatione consen-sus aliquem influxum exerceret. Sive ergo denegetur, juxta supra ex-posita, sive hypothetice admittatur virum conventum hallucinationes illas passum fuisse eo momento quo consensum matrimonialem pre-stitit, semper deveniendum erit, tandem aliquando, ad eamdem conclu-sionem: ex eis nempe concludi non posse pro ejusdem inhabilitate ad contrahendum, quia cum re uxoria nullam relationem seu conexionem habuerunt. Patet proinde ex toto probationum globo, quocumque sub-aspectu quaestio consideretur, erui non posse *certitudinem moralem*, quae ad sententiam pro nullitate matrimonii pronuntiandam requiritur.

19.—Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos, infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes ac solum Deum p̄ae oculis habentes, ad propositum dubium, sententiantes, respondemus: *Affir-mativa* ad primas partem, *negativa* ad secundam, seu confirmandam esse sententiam tribunalis M. diei 16 julii 1954, ideoque *non constare de nullitate matrimonii, in easu*.